



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Dictamen ultimum certum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

positio non quia vera est, sed quia illius veritas ex motivo gravi nobis apparet: ut adeo probabilitas propositionis sit talis non absolutè, sed relatè ad nostram conscientiam, vel potius relatè ad motivum, quo nititur. Proinde propositio verè nunc probabilis, fieri improbabilis potest, vel quia novæ rationes occurrunt ejusmodi, quæ prioribus oppositæ illas prorsus enervant; vel etiam ex nova definitione Ecclesiæ; vel quoniam fallacia antea latens detegitur. Ex adverso opinio antea improbabilis veram probabilitatem consequi potest, veluti cum nova occurrit ratio gravis & solida, quæ ab oppositis elidi non possit. Sequitur ex dictis: quamvis nemo judicare queat, utramque opinionem ex contradictoriis simul esse veram, alioquin idem simul esset, & non esset; posse tamen virum prudentem judicare, utramque simul esse probabilem, non ex iisdem, sed ex diversis motivis, quibus earum qualibet innititur. Idque obtinet non modò respectu diversorum hominum, ut per se patet; sed etiam respectu ejusdem intellectus; Quoties enim viri doctissimi, cum unam sententiam ceu probabiliorem amplectuntur, alteram esse verè probabilem fatentur?

β) De Ortu & progressu Probabilismi multi etiam ex RR. multa disputant, pluresque paginas implent, non tam (quantum opinari fas est) ut AA commodo studeant, quàm ut antiqua semper Scholæ dissidia foveant. Cur omnes adversus Hæreses, & novas impietates non armanur? cur quod manu altera ædificamus, destruimus altera? verbo tandem & exemplo nostro palam fiat, Doctrinæ Evangelicæ veros nos esse sectatores ac prædicatores.

100. Dictamen ultimum certum. Cùm fat multa hinc in disputationem veniant, certa ab incertis & dubiis separanda sunt. Itaque I. Communissima TT. est, quòd ad honestatem actionis dictamen ultimum saltem moraliter certum requiratur, vi cujus homo judicat citra formidinem de opposito, actionem suam, pensatis omnibus, divinæ legi consentaneam, adeoque licitam & honestam esse. Qui enim agit cum dubio practico de honestate,

state, vel inhonestate actionis suæ, peccat; quia periculo peccandi proximo sese exponit; eidem peccati formalis periculo sese obnoxium reddit, qui agit cum dictamine ultimo probabili, aut etiam probabiliore, quia & is prudenter dubitare potest, an actio honesta sit, nec ne; igitur ad honestatem actionis necessarium est dictamen ultimum, sive practicum moraliter certum, quod solum excludit formidinem de opposito, arcetque omne periculum proximum peccandi formaliter.

2) Judicium, sive dictamen rationis 1o. aliud est *universale*, sive *speculativum*, quod dicitur, quid in genere honestum sit, vel inhonestum; aliud *particulare*, sive *practicum*, quod dicitur, quid hic & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, licitum sit, aut illicitum. 2o. *Remotum*, quod mediatè solum dirigit actum, mediante sc. dictamine propinquiore; *proximum*, sive *ultimum*, quod est immediatè directivum actus. 3o. *Certum*, quod ita dirigit actum, ut omne dubium, omnemque formidinem excludat. Triplex autem est certitudo, sc. *metaphysica*, quando impossibile est rem aliter se habere; *physica*, quando res non nisi per miraculum aliter esse potest; & *moralis*, quando res omnium prudentum judicio ita se habet, ut adeo quis prudenter dubitare nequeat, aut formidare, ne fortassis per hoc dictamen decipiatur. Atque hæc sola ad rectè operandum requiritur: cum enim evidentia, aut metaphysica certitudo sæpius haberi non possint; neque Deus ad hujusmodi dictamen ultimum obligat. Innumera enim quæstiones morales de licito, vel illicito controversæ sunt; proinde dictamen evidens, aut metaphysicè certum ex principiis directis nequit deduci. Sed neque ex reflexis, quia & ista perquam rarò ad evidentiam metaphysicam assurgunt, ideoque principia universalis esse non possunt, unde dictamina ultima petantur.

3) Actus humanus ut moraliter malus sit, non prærequiritur dictamen ultimum, quo quis judicet, actum illum in his circumstantiis inhonestum esse, sed sufficit judicium

pro-

probabile, aut dubium practicum de inhonestate illius, quia operans cum huiusmodi dictamine, aut dubio, sciens volensque se exponit manifesto periculo peccandi formaliter. Quis enim à peccato formali excuset hominem, qui practicè dubitans, utrum homo in dumeto lateat, an fera; nihilominus sclopetum exonerat? is namque apertè prodit, eo sese animo esse, ut perinde habeat, hominem, an feram occidat.

ε) Iterum dictamen conscientia aliud *directum* est, quo quis ex principiis directis, *b. e.* absque reflexione super aliud principium, dubium, vel ignorantiam iudicat, se hic & nunc honestè agere; *v. g.* Rem alienam cogor restituere; aliud *reflexum*, quo quis ex principiis reflexis, sive factâ reflexione super aliud principium, dubium, vel ignorantiam iudicat se hic & nunc licitè, vel illicitè operari; *v. g.* cum ignorem hunc fundum alienum esse, & melior sit possidentis conditio, illum licitè retineo. Utrumque hoc dictamen est tale vel *sine modo*, dum simpliciter & absolute dictat, aliquid licitum, vel illicitum esse; vel *cum modo*, quando pronunciat aliquid probabiliter, vel probabilius, vel certò licere, aut non licere.

*Si ais* I. Operans ex iudicio probabili agit prudenter; igitur non peccat. *Resp.* Qui agit immediatè ex iudicio probabili, potest prudenter formidare, ne actio sit inhonesta, ob gravem rationem, qua nititur alius, eandem actionem iudicans illicitam esse; igitur prudenter non agit. Necessarium itaque est iudicium practicè certum de honestate actionis. Nempe ut quis in *genere morum* prudenter agere censeatur, necesse est, ut nullam habeat formidinem rationabilem (inanes enim, & non fundatæ formidines sæpius deponi nequeunt, & tam parum nocent honestati actionis, quàm parùm actui fidei obstant leves & indeliberati motus dubitationis (qui tamen extra actum fidei sunt) de inhonestate formali suæ actionis.

*Si ais II.* Qui saltem probabilius practicè iudicat se honestè hic & nunc agere, licitè operatur, quia facit totum id, quod in se moraliter est, ut vitet peccatum. *Resp.* Neque is, nisi aliud iudicium reflexum accesserit practicè certum, prudenter & honestè operatur, quia nec iudicium practicum probabilius excludit formidinem rationabilem de opposito. Igitur rectè statuit ita discurrendo; adhibitâ sufficienti diligentîâ nullum adverto periculum peccandi, nullam legem hujus actionis prohibitivam; quo in casu ex virorum prudentum iudicio quis licitè operatur; igitur & ego nunc honestè ago. Patet hinc, licet taliter operans vi iudicii directi & speculativi certus non sit de honestate actionis, nam motivum probabilius non est ratio certa pro honestate actionis; est tamen certus ex vi iudicii reflexi & practici, ideoque prudenter agit, quia non est, cur rationabiliter timeat periculum peccati formalis.

*Si ais III.* Igitur nunquam licet sequi conscientiam probabilem, immo nec sententiam probabilissimam. *Resp.* Nec sententia probabilis, nec probabilissima potest esse regula *ultima & immediata* nostrarum actionum, hæc enim debet esse certa certitudine saltem morali, quæ nasci potest ex iudicio reflexo: si istud operans habere non possit, abstinere debet ab actione. Meritò autem damnata est hæc *prop. 3.* ab ALEXANDRO VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, hanc enim, ut notat VIVA in *h. l.* Tutiorismi sectatores ex *Fansenii* penu depromptam in medium protulerunt, ut omnem penè viam ad salutem intercluderent, ob moralem impossibilitatem adsequendi semper,  
quod

quod est tutissimum. Hi itaque docent nunquam licere sequi opinionem libertati faventem adversus aliquam legem, tametsi ea probabilissima sit, & communiter recepta, aut etiam moraliter certa, sed partem tutiorem semper eligendam esse. Dicitur autem sententia probabilissima, quæ validissimo fundamento nititur, habetque pro se suffragium plurimorum sapientum.

*Si ais IV.* In moralibus nequit sæpius haberi certitudo moralis, præsertim à rudibus, qui cum honeste operantur, neque habent, nec facile habere possunt dictamen ultimum moraliter certum: Unde enim dictamina hujusmodi sibi faciant, quibus reflexiones prorsus incognitæ sunt? *Resp.* Operans vel ex principiis reflexis habere certitudinem moralem debet, ut actio honesta sit; vel ab operando abstinere. Ad rudes quod attinet: etiam isti interrogati: cur hoc agendo non peccent? respondere solent, se ideo non peccare, quia agunt quod sibi licere prudenter existimant; quod ipsum est dictamen ultimum moraliter certum, quia actionem suam ita licitam censent, ut nullam prorsus de inhonestate formidinem habeant. Pæræpe etiam ad Parochi autoritatem, ad aliorum prudentum, & timoratorum hominum dicta provocant.

*Si ais V.* Dictamen reflexum fundatur in directo; ergo illud æque parum, ac istud fundare certitudinem moralem potest. *Resp.* Judicium directum est quidem præsuppositum ad reflexum, non tamen est motivum: nam motivum judicii reflexi est aliud principium reflexum, v. g. Cum in moralibus sæpius nequeat haberi certitudo de honestate actionis secundum se, idcirco in praxi certò licitè

licite tenemus illud, quod spectatis omnibus apparet licitum, nec ullâ lege prohibitum. Hinc etiam certitudo moralis, quæ facit, ut quis prudenter & licite agat, non profluit ex dictamine directo, & reflexo simul, sed ex principiis reflexis moraliter certis unice fluit; nam dictamen directum neutram præmissarum constituit, ex quibus deducitur iudicium practicum moraliter certum ultimo directivum actionis humanæ. Equidem iudicium probabile directum, & reflexum moraliter certum inter se non pugnant; neque tamen idem omnino sunt, nequidem ex objecto; nam istud versatur circa objectum ut ponendum in his circumstantiis, & quatenus jam substat dictamini directo; cum directum attingat objectum secundum se. Et num repugnantia sit: actio secundum se probabiliter videtur esse illicita: & actio in his circumstantiis certò apparet licita? nonne mendacium ex se illicitum, certò licitum est ut substans ignorantie invincibili? potest nempe idem objectum secundum se spectatum, & ut cognitioni nostræ substans ex diversis motivis licitum & illicitum apparere.

Certum est II. (Num. 100.) Ministrum Sacramenti in iis, quæ ad valorem spectant, per se loquendo, teneri partem tutiorem sequi, etsi minus tuta sit probabilior. Liquet ex prop. I. ab INNOCENTIO XI. anno 1679. confixa: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabiliori tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*